

8.12.15

*Idem A. A. Eutychiano pp.*

Si aliquando homines emergant, qui a nostra clementia opus publicum sibi praeberi postulaverint, non nisi diruta penitusque destructa et quae parum sunt in usu civitatum percipient: intimandis huiusmodi rescriptis iudicio amplissimae tuae sedis.

*D. id. Dec. Honorio A. IIII et Eutychiano consss.*

[a. 398]

8.12.16

*Idem AA. et Theodosius A.. Aemiliano pu.*

Si quando usus exegerit vel porticus vel quaslibet aedes aetatis senio seu fortuitis concussas casibus reparari, liceat etiam inconsulta clementia nostra cum reverentia sui imaginem deponere vel nostram vel retro principum, reportatamque post refecta aedificia loco proprio denuo collocare.

*D. V k. Iul. Constantinopoli Arcadio A. VI et Probo consss.*

[a. 406]

8.12.17

*Impp. Honorius et Theodosius AA. Monaxio pu.*

Quicumque locus in palatio huius urbis privatis aedificiis incommodo occupatus est, is quam primum subrutis omnibus quae in eo sunt aedificiis palatio reformetur, quod privatorum non est parietibus coartandum (nam imperio magna ab universis secreta debentur), ut hi tantum locum habeant habitandi, quos legitimus maiestatis nostrae usus et rei publicae disciplina de legit: in futurum etiam universis ab huiusmodi usurpatione prohibendis.

*D. VIII k. Mart. Constantinopoli Honorio VIII et Theodosio III AA. consss. [a. 409]*

8.12.18

*Idem AA. Anthemio pp.*

Turres novi muri, qui ad munitionem splendidissimae urbis extractus est, completo opere praecipimus eorum usui deputati per quorum terras idem murus studio ac provisione tuae magnitudinis ex nostrae serenitatis arbitrio celebratur.

1 ¶ Eadem lege in perpetuum et condicione servanda, ut annis singulis hi vel ad quorum iura terrulae demigraverint, proprio sumptu eorum instaurationem sibimet intellegant procurandam, eorumque usu publico beneficio potientes curam reparationis ac sollicitudinem ad se non ambigant pertinere.

2 ¶ Ita enim et splendor operis et civitatis munitio cum privatorum usu et utilitate servabitur.

*D. prid. non. April. Lucio vc. cons.*

[a. 413]